

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Bacmeister

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Joannes Bacmeisterus, D.
Med. & Sup. Math. Prof. P. Ad Festum Sanctorum Angelorum rite & religiose
celebrandum, Omnes & singulos Academiae Cives sedulo hortatur & monet**

Rostochii: Kilius, 1671

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73597442X>

Druck Freier  Zugang



Ru. Progr. 1671/2
Johann Baumeister
Progr. in festo S. Michaelis



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn73597442X/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73597442X/phys_0002)



129

PROGRAMMA
Quo
RECTOR
V NIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
**JOANNES BAG-
MEISTERUS, D.**
Med. & Sup. Math. Prof. P.
Ad
FESTUM
**SANCTORUM
ANGELORUM**
ritè & religiosè celebrandum,
Omnes & singulos Academiæ Cives sedulò
hortatur & monet.



ROSTOCHII,
Typis JOANNIS KILI, Acad. Typogr. Anno 1671.



ABBATHUM statim à Mundi primordio
in memoriam hujus pulcherrimi rerum Uni-
versi ab ipso JEHOVA institutum, non so-
lum Patriarchæ devote, sanctè, piè, celebra-
runt; sed & posteris suis serio mandarunt, ut
diem illum sacrum & solennem animis ad de-
votam pietatem compositis observarent; sa-
crificiis rite peragendis dicarent, divino cul-
tui sanctisque operibus consecrarent. Quod si
jam respicere volemus animo spatium præ-
riti temporis, ac prima Festorum initia progressusque recordari: re-
periemus certe insuper, patefactionum divinarum ordinem in Vet. Te-
stamento sic distributum fuisse, ut ad certos temporum terminos inci-
derent, quæ res omnium divinissimæ in Ecclesiâ Israeliticâ essent gestæ.
Et isthac via ac ratione rerum omnium Moderator DEUS voluit me-
moriā maximorum & admirabilissimorum suorum operum conser-
vari in Populo Judaico, ac ad seram propagari posteritatem. Quinimò
non sine sapientissimâ ratione per Mosis manum certâ lege expressit &
sancivit, quos sibi dies, præter S A B B A T H U M vellet esse sacros, in
quibus ex universo Populo suo ad certa loca confluenter, ibidemque
insignem & anniversariam beneficiorum ipsius commemorationem
ac celebrationem peragerent, late agitarent. Hinc est, quod tum
PASCHA, tum PENTECOSTEN, tum denique Συναγωγæ cum
quâ EXPIATIONIS Festū cohærebat, ad utrumq; autem Propitiationis
scilicet & Tabernaculoru[m] præparatio erat TUBARUM Festum instituit.
Et sanè ad PASCHATIS Festum quod attinet, illud disertè à DEO ad
XIV diem primi Mensis Judaici fuit alligatum. Præterquam verò quod
PASCHA divinitus institutum erat in recordationem gloriose illius
liberationis & eductionis ex Ægypto & tyrannide Pharaonis, & piam
meditationem reliquorum beneficiorum in gentem Judaicam verius
effusorum quam collatorum: præfigurabat insuper res sub plenitudine
temporis fortiter præclarèque gerendas per MESSIAM sive CHRI-
STUM, qui proprio suo sanguine humanum omne genus ab hostibus
spiritualibus, à captivitate ac tyrannide Peccati, Mortis, Diaboli ac
Infernî erat liberaturus. PENTECOSTES prætereà Festo Judæi non
solum benedictionem DEI in messe perceptam gratis celebrabant ani-
mis: Verum etiam recordabantur Legis in Monte Sinai promulgatae
die

die scilicet L. ab exitu gentis Judaica de Agypto ad monsem usq; illum.
Et sane magno studio debitaque reverentia à populo Israelitico Festum
illud fuisse observatum, vel ipsius gentium Doctoris Pauli exemplum,
quando Judæorum Pentecosten Jerosolymis præmissis purgationibus
ceremonialibus celebrasse legitur, haud obscurè testatur. TABERNA-
CULORUM sive SCENOPEGIORUM Festum celebrabatur à Ju-
dæis XV. septimi Mensis die, admonebatque Filios Israel peregrinatio-
num per loca deserta, quod videlicet eis in vasta solitudine absque la-
re familiari vagantibus fuisse pro domo tabernaculum, pro tecto cœ-
lum, pro lecto solum, pro pane manna, pro vino ex petra saliens aqua.
DEI enim suminè misericordis cura & plus quam paterna clementia
eos annis XL in tectoriis & tabernaculis agentes, ita mirè protexit ac
defendit, ut interea temporis prorsus nullis morborum aut infirmita-
tum procellis tentarentur, nec Vestimentorum aut commeatus inopia
præmerentur; tum etiam significabat vera Ecclesia militantis statum:
quippe quæ hoc in Mundo tanquam in deserto seu exilio passim Ober-
ret, nec sedem habeat stabilem, sed assiduis votis coelestem expetat pa-
triæ. Cum hoc ipso Feste arctè quasi conjunctum erat PROPITIA-
TIONIS seu EXPIATIONIS Festum, quo summâ solennitate expiata
sunt omnia totius Populi peccata & coram Domino facta propitiatio
est. Hâc ipsâ autem feriâ significabatur passio Filii DEI in cruce, quan-
do uno sacrificio expiavit totius Mundi peccata. TUBARUM deniq;
Festum in primum diem Mensis septimi incidebat, & procul dubio eum
in finem institutum est, ut Israelitæ quasi excitarentur, quo se se ad ce-
leberrima illa duo Festa, qua in Mensem illum incidebant, præpara-
rent: Videturque celebriore isthoc Sabbatho fuisse præfigurata præ-
dicatio pœnitentiae Johannis Baptiste. Præter hæc vero jam enumera-
ta Festa, Sacer Codex mentionem quoque facit Festi NEOMENI A-
RUM seu NOVILUNIORUM, quod in memoriam creatæ lucis in-
stitutum, primo cujuslibet Mensis die celebrabatur, taciteque cultores
admonebat, ut Mense soli DEO temporum solertiſſimo gubernatori
sacros esse vellent. His annumerari quoque possunt Feriæ CON-
CEPTIVÆ h.e. non mandatae à DEO expresso verbo, sed ab Ecclesia
in gloriam & honorem summi Numinis ac ad retinendam acceptorum
beneficiorum memoriam receptæ, approbatæ. In horum decuriam
translabitur Dies ille, quem solennibus diebus publico consensu ad-
scriptum, *In memoriam triumphi Judith de Holopherne Nabuchodo-*
zos 2 nosaris

alio

so faris copiarum Magistri reportati, Iudæos quotannis summâ cum
festivitate & lætitia celebrasse ex libro Judith colligere promptum est.
Nec immerito huc refertur Festum PURIM s. SORTIUM dies, quos
revertente anno XIV. & XV. Mensis Adar s. Februarii diebus perquam
solenni honore simul & magno cum gaudio celebrandos esse decreverat
Mardochæus in memoriam ultionis atque supplicii, quod Judæi ignomi-
niôssimæ crucis morti addicti & destinati, machinatione in hostium
caput versâ, ac proindè luctu in gaudium mutato, de *Hamam* & omnibus
adversariis suis mirâ fortunæ alternantis vicissitudine sumserant. Multò
minùs ex horum Festorum numero excludi poterit. Festum E N C E-
NIORUM, quod *Judas Maccobœus* accedente Ecclesiæ totius consensu
& approbatione in memoriam instaurati templi Jerosolymitani & libe-
rationis ex Tyrannico dominio Antiochi Regis per dies octo Mensis Chas-
leu five Novembris pio consilio instituisse traditur. Quod si igitur in Ec-
clesia V. Testamenti Deo sic volente, jubente ac mandante, certi dies elec-
ti fuerant, in quibus præ cæteris præcipuorū DEI beneficiorum recor-
datio solemniter, publicè & annuatim institueretur: quidni laudabili-
ter & utiliter in N. Testamento idem posset fieri? Esi enim Christiani
in novo Fœdere non sunt obligati ad Judaicorum Festorum observa-
tionem, nullumque hac de re extet Mandatum; laudabili tamen & per-
utili more atque consuetudine in Ecclesiam N. Testamenti introduc-
tum est, ut certi & anniversarii dies Festi extarent, in quibus præcipua
Religionis Christianæ capita Populo proponorentur, inculcarenturq;:
Cumque omnia, ex sententia D. Pauli Apostoli, decenter & ordine ge-
renda sint in Ecclesiâ: jure ac merito sub quorundam dierum quiete
à nostris laboribus feriabimus, & recordatione Vitæ sanctorum seriâ
maximeque operum divinorum meditatione mentes nostras ad pieta-
tem exercebimus. Et quidem hos ipsos dies celebramus ac observamus
non ex necessitate mandati, cultus & meriti, sed ex libertate Christian-
â, ordinis, decori & disciplinæ gratia omni superstitione remota. An-
niversarii enim illi dies festi ac sacrae celebritates decoro ordini & Chris-
tianæ Societatis paci retinendæ, experientiâ teste, inserviunt multum.
Merito autem hic superstitionis insimulamus cum Sabbathariis illos,
qui Canones certos de termino Paschali constituunt, & leges ferunt de
diebus festis contra mentem Apostoli ad Coloss. 2. Apostolorumque
ac Sanctorum Martyrum dies, quos iidem aliis sanctiores somniant,
tum servari tum omitti etiam posse, atque à dia Phogov esse statuimus

Sola

Sola namque persuasit Idolomania, ut instituerentur, quæ Latroni etiam cuidam ex opinione falsa tanquam Martyri festum paravit apud, Severum Sulpitium, lib de Vita Martini Episcopi. Erat enim, inquit, haud longe ab Oppido proximus Monasterii locus, quem falsa hominum opinio, velut consepulcrio ibi Martyribus sacraverat. Nam & Altare ibi à superioribus Episcopis constitutum habebatur. Sed Martinus non temere adhuc, bens incertus fidem, ab his qui majores natu erant Presbyteris, vel Clericis flagitabat sibi nomen Martyru vel tempora passionis ostendi, grandi se scrupulo per moveri, quod nihil certi constans sibi majorum memoria tradidisset. Cum aliquandiu ergo à loco abstineisset, nec derogans religiosi, quia incertus erat; nec auctoritatem suam vulgo accommodans, ne supersticio convalesceret: quodam die paucis secum adhibitis fratris ad locum pergit. Deinde super se pulchrum ipsum astans, gravit ad Dominum ut, quis esset vel cuius meriti sepultus, ostenderet. Tum conversus ad levam, vidit propè adscilere umbram sordidam, tracem: Imperat, nomen meritumque ut loqueretur. Nomen edicit, de crimen confiteretur, Latronem se fuisse, ob scelera percussum, vulgi errore celebratum, sibi nihil cum Martyribus esse commune; cum illos gloria se pena retineret. Mirum in modum vocem loquentis qui aderant audiebant, personam tamen non videbant. Tum Martinus, quid vidisset, exposuit, jussitque ex eo loco altare, quod ibi fuerat, submoveri, atque ita Populum superstitioni illius absolvit errore. Haec tenus ille. Si jam recensere vellem, omnes festivitates, quas etiam habuit, quæ variarum superstitionum & impietatum laqueis constricta tenebatur Gentilitas, κακοζηλία quædam institutas, quæisque, teste Gregorio Nisseno, Gregorius Thaumaturgus in festa Sanctorum Martyrum mutavit: pro Pandiis enim & Diaisis & Dionysiis h. e. Jovis Liberique patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, aliisque sanctis Martyribus, solemnitates populari epulo peragi statuit, referente Theodoreto de Evangelio & veritatis cognitione lib. 8. paginæ Programmati scribendo dicatae vix sufficerent. Omnes autem Feriae publicæ habentus ab Ecclesiâ Christiane receptæ commode ad tres Classes referri poterunt. Aliæ quippe dicuntur Stativæ, quæ & statæ & anniversariæ nominari poterunt; quotannis enim hæ constitutis diebus atq; mensibus recurrent, & in fastis statis observationibus annotatae fuerunt, ut sunt apud nos omnia Festa immobilia, & apud Romanos erant Agonalia, Carmentalia, Palilia, &c. Aliæ Concepitire, quæ à Pontif. aut eo permittente à Sacerdotibus in dies certos aut etiam incertos annis singulis

Concipiebantur ; ad quam classem Festa spectant nostra mobilia , Romanorum vero Feriae Latinae , Sementinae , Compitalia . Aliae denique Imperative quas pro arbitrio Consules , aut Praetores ob victoria numerium aut salutem Principis apud Romanos indicebant , & tales sunt nostræ dies Pœnitentianæles , itemque illæ , quibus DEO vel pro obtenti pace vel alio nobis concessio beneficio gratias publicè agimus .

Cum itaq ; & ille Dies festus anniversarius iterum illuxerit , quâ illustri Angelorum renovare memoriam , suscepta & solennis Religio instituit : omnino nostrarum partium erit , qui non titulo solum Christianorum salutari , verum etiam re ipsa Christiani esse volumus , ut Doctrinam hanc quam diligentius consideremus , perpendamus , meditemur . Et sane multum imò plurimum refert , ut pii quovis tempore de tutela ac præsidio Sanctissimorum illorum Spirituum cogitent . Hi enim sunt Heroes , hi sunt Milites illi fortissimi , qui nocte dieque nostri causâ excubias agunt : Hi nostri custodes sunt , quorum præsidio adversus malos spiritus , incommoda corpori ac animæ importare , ac in capita nostra mala quæque machinari studentes , tegimur & munimur , hos illi oppugnant , hos abigunt , arcent , propulsant & in fugam convertunt . Hanc veritatem Pagani in tenebris attrectarunt non nihil ; nos qui CHRISTO Imperatori Sacramentum diximus , luce cœlestis doctrinæ illustrati pleniū cognoscimus & amplectimur religiosius . Ita enim fidelibus singulis per divinum Vatem DEUS spondet . Non accidet tibi malum , neque plaga appropinquabit tabernaculo tuo , quoniam Angelus tuus mandabit de te , ut infundiant te in omnibus viis tuis . In manibus portabunt te , ne forte ad lapidem impingat pes tuus . Admirandum sanè beneficium , quod omnem intelligentiam longè superat , nedum ullius ornata dicendi , aut copiæ satis explicari queat . Ingeminemus potius altissimâ voce cum s . Bernardo . Domine , quid es Homo quod reputas eum ? Mutu illi unigenitum tuum , immittis Spiritum Sanguinem tuum , promittis vulnus tuum . & , nequid vacet in cœlestibus ab opere sollicitudinis , beatos illos . Spiritus mitis in Ministerium nostrum . Novimus equidem , sacrermos hosce Spiritus non tantum ad electorum sed & ipsius DEI ministerium esse ordinatos & destinatos , uti hoc ipsum tum ex Vate Daniele cap . 7. tum ex Epist . ad Hebreos cap . 1. patet , quorum illæ millia millum ipsi DEO ministrare , & decies centena millia assistere ; hic vero in Ministerium emitti propter eos , qui erunt salutis haeredes pronunciant . Verum ille immortalis hujus Universitatis Patens , qui habet

habet omnia, qui solus est, qui complet omnia, cuius infinita est potentia, qui ipsa est perfectio, ipsa absolutio, nullaque aliena indiget opera, non eum in fine obsequio suorum spirituum utitur, quod ipse minus sufficiat gubernando hoc imperio, sed ut ipsi serviant in singularibus ejus Mandatis recipiendis, iisdemque efficiendis, prout hoc ipsum Num. 22. satis clarum est, ubi Angelus DEI emittitur, ut Balaam Asinam prohibeat. Ita etiam alegatur Angelus ad Uxorem sterilem Manuam Samsonis futuram matrem, ut ipsi filii conceptionem annunciet. A DEO item amandatur Angelus Gabriel ad Zachariam, ut ipsi annunciet concepturam & paritoram Uxorem suam Elisabetham Joannem Baptistam; nec non ad Virginem Mariam significatum ipsi, se Matrem Salvatoris generis humani facturam. Accedit & hoc officium, ut Creatorem suum aeternum ac sine intermissione celebrent, hymnum illum sacro sanctae & individuae Trinitati consecratum elata voce cantando: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Zebaoth*, plena est omnis terra gloria ejus. Et tali modo exequuntur id, quod regius Psaltes Psal. 148. jubet: *Laudate DEUM omnes Angeli, laudate eam omnes Virtutes ejus.* Hoc modo expedient, quod autor Epistola ad Hebraeos praecepit. Et adorant CHRISTUM omnes Angeli. Ad nostram imprimis eos utilitatem adhibet DEUS, uti Epistola jam allegata ad Hebraeos cap: 1. testatur, quando; *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutem?* Possem haec omnia, vel sexcentis Sacra Scriptura locis probare, nec exempla, quibus haec clara evadunt, deficiunt. Angeli enim leguntur custodia munivisse aedes Lothi, quem etiam manu ejus apprehensa, deducunt ex flammis ultricebus, cum nimis diu commoraretur. Quanto studio & cura Israelearum liberationem ex Aegypto promoverint, ac quantâ vigilantiâ ipsi adfuerint in toto peregrinationis tempore, Vir DEI Moises perspicue satis demonstrat. Annon Prophetam Eliam Angelus Domini in deserto profugum & mori expertem, aqua & pane nutritivit? Annon Elisaeum contra Syrios defendit? Annon Viros tres in ardentissimo camini Babylonici igne Angelum mirabiliter custodivisse memorat Daniel? Annon Angelus pro Rege Persarum cum Diabolo est præliatus? Taceo quomodo Magi ab Angelo adinoniti, ne Hierosolymam ad Herodem fese iteru conferrent, magnum vita discrimen declinaverint: quomodo Apostolus Petrus ex carcere & vinculis Regis Herodis eductus. Præterea multa alia exempla, quibus Sacer Codex est refertus, cum ea adducere necessarium non habeat.

habemus; Ipsi namque quotidiè experimur fidelissimam horum San-
 tissimorum Spirituum custodiam atque tutelam. An autem singulis
 hominibus singuli Angeli sint custodes adjuncti, an plures? à curiosis quæ-
 situm hactenus. Priori questionis parti suffragatur CHRISTUS veritas
 ipsa, ubi apud Matt. Cap. 18. dicit de parvulis credentibus in ipsum,
 quod Angeli eorum in cælis perpetuo aspiciant faciem Patris sui: Et Luc. in
 Act. c. 12. narrat, Apostulum Petrum ex Herodis Tyrannivinculis per An-
 gelum liberatum esse. Quo respexit etiam Origenes quando, Adest, inquit,
 unicuique nostrum etiam minimu, qui sunt in Ecclesia DEI, Angelus bonus, Ange-
 lus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corri-
 gendis & miserationibus exposcendum quotidiè videat faciem Patris, qui in ca-
 lis est. Et Beatus Hieronymus inter cætera hæc habet: Magna dignitas ani-
 marum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in sui custodiam Angelum de-
 legatum. His etiam assentitur Chrysost. hæc subindè multis in locis re-
 petens: Unusquisque credentium Angelum habet. Posteriori parti adstipu-
 latur historia Jacobi Patriarchæ, cui binæ angelorum turmæ apparent
 Gen. 31. Et Eilisai Prophetæ, quem flammeorum equitum & curruum exercitus
 aduersus Syriorum potentiam tueruntur, Lazari item, cuius anima non ab Angelo
 sed Angelis deportatur in Abraham sinum. Etiamsi autem hæc allata testimonia
 inter se dissidere videntur, conciliari tam en hac ratione possunt, ut dicta priori
 questionis parti subscribe ntia suum cuique Angelum à D E O attributum
 & destinatum esse Ordinariè affirment; ad eum autem ordinem Deum sese nou-
 ita alligare, quin veluti extra morem consuetum plures non nunquam Angelos
 uni homini, libera sua voluntate adjungat, dicta cum posteriori facientia af-
 severent. Ne igitur quisque, Cibes Academicæ, Angelos præsentes & auxiliantes,
 atque adeò paratos pro nobis pugnare, impietate sua repellat, sedulo prospici-
 endum erit. Ut enim fœtentia atque fœda ac impura cuncta fugiunt apiculæ;
 ira etiam purissimi hi Spiritus abscedere ab illis solent, qui luxus & libidinem
 contaminant; qui crapulam, lasciviam in dictis & factis proterviam omnem
 confessantur; qui officii sui immemores inerti otio annos transmittunt. Illis
 autem repulsi in locum eorum malos Angelos succedere, qui callidissimi sag-
 cisimique sunt ad nocendum & miseros Mortales in exitium perducendum; ne-
 mo sanæ mentis insiciari poterit. Si itaque vera Religio nobis Cordi atque curæ
 est, hoc ageundum erit, ut quotidiè filiali observantia cælestem Patrem nostrum
 veneremur, & pro Angelico comitatu nobis indulgendo supplicibus precibus
 oremus, spe ista indubitate, nos exauditum iri, ac securos fore, tum in Ecclesia,
 ne à Tyrannis vel Hæreticis opprimantur aut pessundemur: tum in Republica,
 ne illa intefinis vel externis hostibus turbetur aut pereat: denique & in ipsa
 singulorum Oeconomia, ne vel igne vel aliis cladibus consumatur, aut rerum ad
 vietum aut amictum necessiarum derrimentosam cladem subeat. Tu, DEUS,
 annue votis. P. P. Rostochii ipso Michaeli sacro die, Anno M. DC.LXXI.
 sub Sigillo Rectoratus.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn73597442X/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73597442X/phys_0011)






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn73597442X/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73597442X/phys_0012)



habet omnia, qui solus est, qui compleat omnia,
 qui ipsa est perfeccio, ipsa absolutio, nulla
 non eum in finem obsequio suorum spirituum
 sufficiat gubernando hoc imperio, sed ut ip-
 ejus Mandatis recipiendis, iisdemque efficiendis,
 satis clarum est, ubi Angelus DEI emittitur
 hbeat. Ita etiam allegatur Angelus ad Uxor
 sonis futuram matrem, ut ipsi filii conceptione
 item amandatur Angelus Gabriel ad Zachari-
 cepturam & paritutram Uxorem suam Elisa-
 tham: nec non ad Virginem Mariam significan-
 toris generis humani facturam. Accedit &
 rem suum aeternum ac sine intermissione celo
 sacro sanctae & individuae Trinitati consecra-
 Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Zebao-
 ria ejus. Et tali modo exequuntur id, quod in-
 bet: Laudate DEUM omnes Angeli, laudate
 Hoc modo expediunt, quod autor Epistola a
 dorant CHRISTUM omnes Angeli. Ad nostram
 adhibet DEUS, uti Epistola jam allegata ad
 quando; Nonne omnes sunt administratori Spiritu
 per eos, qui hereditatem capiunt salutis? Pe-
 centis Sacrae Scripturae locis probare, nec exce-
 ra evadunt, deficiunt. Angeli enim leguntur
 Lothi, quem etiam manu ejus apprehensa-
 cibus, cum nimis diu commoraretur. Qua-
 tarum liberationem ex Aegypto promoverint
 adfuerint in toto peregrinationis tempore,
 satis demonstrat. Annon Prophetam Eliam A-
 profugum & mori expertem, aqua & pane
 contra Syrios defendit? Annon Viros tres in a-
 ionici igne Angelu mirabiliter custodivisse?
 Angelus pro Rege Persarum cum Diabolo est per
 Magi ab Angelo admoniti, ne Hierosolyma
 ferrent, magnum vita discrimen declinaveri
 trax ex carcere & vinculis Regis Herodis educti
 exempla, quibus Sacer Codex est refertus, cum ea



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE23 Serial No. _____